DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MENTIS ET ANIMÆ HUMANÆ CONSENSU AC DISSENSU.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,

J. U. D. ET JURIS CIVILIS ROMANI AC HODIERNI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ANTECESSORIS ORDINARII;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Publico & Solemni Examini ſubmittit

PAULUS KIRCHOVIUS,
Hamburgenſis.

Ad diem 19. Octobris 1725. hora locoque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF. 1725.

CHARISSIMO PARENTI SUO,
DOMINO

D.D. GOTTFREDO KIRCHOVIO,

PER OCTO LUSTRA MEDICO HAMBURGENSI
FELICI ET CORDATO:
NEC NON
VIRO CLARISSIMO ATQUE PERITISSIMO,
DOMINO

D. CHRISTIANO KIRCHOVIO,

PER ANNOS XLI. ILLUSTRIS SENATUS HAMBURGENSIS
PHARMACOPOEO SOLERTISSIMO,
PATRUO SUO HONORATISSIMO:

FRATRIBUS GERMANIS, LAUBA-LUSATIS,
VIRIS
DE REPUBLICA HAMBURGENSI
BENE MERITIS,
IN AMORIS, HONORIS ET GRATITUDINIS TESSERAM,
CUM OMNIGENÆ FELICITATIS ET LONGÆVITATIS
VOTO INTEGERRIMO,

Inauguralem hanc ſuam ea, qua decet,
reverentia dicat & conſecrat.

PAULUS KIRCHOVIUS,
HAMBURGENSIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MENTIS ET ANIMÆ HUMANÆ CONSENSU AC DISSENSU.

PRÆFAMEN.

Doctrinam de Mente & Anima humana ſcitu ſumme neceſſariam eſſe, quivis deprehendet, qui ſe ipſum recte cognoſcere ſtudebit: ſicut enim hæc primarias hominis tradit partes, ita docet omnium actionum humanarum autores, ac ducit ad notitiam rerum profundarum, quæ multos fugiunt, qui de cognitione ſui nunquam cogitarunt. Non defuerunt equidem, qui ſuas de Anima meditationes aperuerunt, aſt tot & tantis difficultatibus involutas, ut Oedipo opus ſit ſingulares eorum dijudicare hypotheſes. Notavit hoc jamdudum Illuſtris D. A. Q. RIVINUS, *Præceptor meus deſideratiſſimus, in Diſſert. de Spiritu hominis vitali, verbis ſequentibus:* Legi ac revolvi non ſuperficialiter, quæ ab aliis in hac materia ſcripta ſunt, reperi autem eandem a plurimis omnino neglectam, ab aliis rejectam, a paucis notatu aut ſcitu digna tradita eſſe. *Exiſtunt etiam, qui*

de nullo corporis motore ſolliciti, ad uſum practicum & medentis ſcopum obtinendum, certam & conſtantem effectuum obſervationem ſufficere ſtatuunt, ac ne hilum quidem ad tutam morborum perſanationem & prudentem remediorum adminiſtrationem conferre putant, an quis ſciat, quomodo remedia agant in has vel illas partes? quid moveat ſolida corporis noſtri, vel motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum efficiat? num fluidum per nervos aut arterias allatum ſit mobiliſſimum? aut an principium quoddam agens, vel ratione præditum, vel eadem carens, motus in corpore perficiat? *Quibus tamen ſubſcribere nequeo, cum corporis noſtri motorem noſſe, totius Medicinæ cum Theoreticæ tum Practicæ fundamentum & Veteres & plurimi Recentiorum ſtatuerint; præſertim cum ſine hujus motoris notitia nec vires totius corporis bene cognoſci, nec genuinæ indicationes practicæ in quamplurimis morbis erui queant. Unde non male me facturum reputavi, quod pro Inaugurali materiam* de Mentis & Animæ humanæ Conſenſu & Diſſenſu *ſelegerim disquirendam. Sed condonabit L. B. ſi in hac totius Medicinæ & Philoſophiæ naturalis abyſſo defecerim quodammodo, cum meliora docenti palmam offerre ſim paratus. Rem omnem exponent duo Capita: primum Naturam Mentis & Animæ humanæ diſtinctam cum Facultatibus earum explicabit: alterum Societatem atque Nexum Mentis cum Anima intimum declarabit. Faxit Omnipotens, ut omnia cedant in ſanctiſſimi ſui Nominis gloriam ac proximi meamque ſalutem!*

CA-

CAPUT I.

MEMBRUM I.

De Mentis Natura ejuſque Facultatibus.

§. I.

Hominem eſſe animal rationale præſuppono cum ſanioribus Philoſophis, h. e. plurima habere communia cum brutis, motum, ſenſum, appetitum, digeſtiones, ſecretiones & excretiones viſcerum &c. ita, ut horum intuitu ad idem genus animalium referri poſſit; Mentem vero tanquam præcipuum, divinum ac ſingulare quid poſſidere, quo ipſo a beſtiis omnino diſtinguatur. Non ſunt ergo niſi duæ partes hominis eſſentiales, Mens puta & Corpus. Illa ſpiritualis eſt prorſus inſtar angelorum; hoc vero materiale. Differt itaque Mens a corpore tanquam ſpirituale a materiali, quæ profecto inter ſe confundi non debent, quanquam nil repugnet, quominus uniri queant, ſi Deo ita viſum fuerit.

§. II. Placuit autem æterno Numini in Creatione hominis Adamum e gleba terræ formare, eique poſtmodum inſpirare viventem, h. e. immortalem Spiritum. Unde recte colligo:

Q. Creator corpori e terra jam formato ſuperaddidit, id non eſt materiale, ſed ſpirituale.

Atqui Mentem &c. Ergo.

Quid enim opus fuiſſet ſingulari Mentis inſpiratione, ſiquidem & ipſa eſſet inſtar reliqui corporis, ſcilicet materialis? *vid. Gen.* 2. ℣. 7. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in Animam viventem*, ubi per ſpiraculum vitæ commode ſpiritus vivens ſive immortalis intelligi poteſt. Confirmant idem alia S. Scripturæ loca, *Eccleſ.* 12. ℣. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad eum, qui dedit illum,*

lum, quæ de morte hominis ſeu Mentis e corpore diſceſſu loquuntur. Ita Regis Davidis unicum erat votum *Pſalm.* 31. ℣. 16. *In manus tuas commendo Spiritum meum Domine &c.* Quid quod! Salvator noſter ipſe in cruce moribundus ita *Luc.* 23. ℣. 26. exclamat: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*! Et Stephanus, cum lapidibus trucidaretur, *Actor.* 7. ℣. 58. Salvatorem ſuum his verbis invocat: *Domine Ieſu recipe Spiritum meum!*

§. III. Communiter quidem duas proprietates tribuunt Menti humanæ, immaterialitatem ſcilicet & immortalitatem, qui ſane termini multis negativi apparent, nihil certi vel poſitivi determinantes. Sit enim Mentem non mori, Mentem non participare de terra, aqua ſimilive materia, unde quidem intelligo qualis Mens non ſit; interim quæ illius natura proprie ſit, adhuc ignoro. Retineamus igitur terminum Spiritus, & quidem ſenſu pneumatico, ac conceptum habebimus magis clarum & diſtinctum, ſi modo Mentem conferre cum aliis velimus Spiritibus, utpote quorum proprium eſt nihil materiale in ſe continere aut unquam interire.

§. IV. Non diffiteor etiam in S. Scriptura Animæ haud raro adſcribi, quod Menti debebatur, juxta communem loquendi formulam. Noſtratibus magis familiare eſt: *mein Leib und Seele*, quam *mein Leib und Geiſt*. Ita *Pſalm.* 84. ℣. 3. legimus: *mein Leib und Seele freuen ſich in dem lebendigen Gott*, ubi tamen in textu Hebraico vocabulum reperitur, quod per Mentem ſive Spiritum explicari potuiſſet commode. Sic Salvator noſter *Matth.* 10. ℣. 28. ad Apoſtolos ſuos: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete illum, qui poteſt Animam & corpus perdere in gehennam.*

§. V. Quis non videt Animam hic nominari rationalem, cum tamen potius nominanda fuiſſet Mens? Certe apud Græcos, HIPPOCRATEM, ARISTOTELEM atque alios νȣς Mens, & Ψυχὴ Anima manifeſte diſcrepant, nec unquam νȣς de brutis dicitur, quanquam fortaſſe Ψυχὴ ad hominem referatur frequentius. Apud Latinos Mens de homine proprie dicitur; Anima autem in genere de animalibus, quatenus

ho-

rum corpora ab hoc principio vitali revera animantur, i. e. moventur per totam vitam, ita ut hoc motore deficiente per mortem, vita quoque animalis pereat. Apud noſtrates ſpiritus ille immortalis ad differentiam animæ brutorum appellatur *des Menſchen vernünfftige Seele.* Imo ſi vel maxime abſolute *des Menſchen Seele* dicatur, ſubintelligitur tamen vox *vernünfftig*, ſi de Mente loquamur, ſed revera, ſi accuratiores eſſe velimus, a ſe invicem diſtinguenda eſſe illa duo, vel unicus evincit locus *ad Ebr.* 4. ℣. 12. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem Animæ ac ſpiritus:* quod ſi enim Anima & ſpiritus unum idemque ſunt, quomodo dividi poſſunt? Sic & illud dictum Pauli 1 *Theſſ.* 5. ℣. 23. huc quadrat: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter, & Anima, ut & reliquum corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* Nam & ex hoc ipſo diſcrimen inter Mentem, Animam & corpus clariſſime demonſtratur, quanquam tres hominis partes eſſentiales non æque commode hinc nonnulli demonſtrare velint.

§. VI. Perſpecta ſic, quantum licuit, Mentis natura, ſequitur ut ejus uſum ſive Facultates a Deo creatas examinemus. Sciendum itaque erit eam præcipue ad imaginem Dei fuiſſe creatam, inſtructam videlicet ſapientia ſive perfecta ſcientia rerum divinarum, h. e. notitia ipſius Dei & eorum quæ in cœlo terraque condiderat, ac ſumma prudentia in rebus agendis, potiſſimum quæ ad gloriam divini Numinis amplificandam faciunt, vel ad vitæ ſanctitatem ſpectant, id quidem omne ſtudioſe obſervando, quod lex inſita vel facere jubet, vel prohibet. Ut plura non addam, piget enim ac pudet incomparabile illud donum, quod ſoli homini a Deo T. O. M. conceſſum, turpiter adeo amiſſum cacodæmonis invidia ad peccandum invitante protoplaſtos, *Gen.* 2.

§. VII. Deperdita igitur proh dolor! imagine divina, vix reliquiæ perfectionis ſuperſunt; reſtitutionem autem in integrum vix ac ne vix quidem ſperare poſſumus, uſque dum poſt reſurrectionem mortuorum priſtinum impetrabimus ni-

torem, & non modo iſangeli, ſed etiam iſodei erimus, prævia clarificatione cum ipſo Deo noſtro uniti.

§. VIII. Quas interim reliquias habemus, iis utimur quouſque poſſumus, quotidie eo allaborantes, ut quantum poſſibile defectus ſucceſſu temporis reſtituantur: ſiquidem neque intellectus noſter hodie, neque voluntas, quam vocant, vel in eruenda veritate, vel in faciendis bonis & malis fugiendis nobis ſatisfacit, ſed & ignorantia ac malitia nobiſcum nata, niſi gratia Spiritus Sancti acceſſerit, dominatur & eluceſcit ubique.

§. IX. Duo nimirum ſunt capita quibus continentur Mentis noſtræ objecta: verſatur enim Mens vel circa Theoretica ſive ſpeculativa, vel circa Practica ſive facienda. Circa ſpeculativa occupatur intellectus ſecundum ARISTOTELEM Gr. διάνοια; circa facienda voluntas Gr. βȣ́λησις.

§. X. Theoretica hoc in loco non accipienda ſunt pro illis quæ oculis contemplamur, ſed quæ ſunt ſupra captum ſenſuum ſublimiora. Intellectus ſane ſi perfectus eſt, qualem angelis tribuimus, apprehendit ſimpliciſſimo conceptu e. gr. Deum ipſum, non modo quod ſit & revera exiſtat, ſed & qualis ſit, æternus, juſtus, omnipotens &c. Quanquam vero a nobis exiſtentia Dei ejusque juſtitia, miſericordia, & quicquid perfectionis cogitari poteſt, cognoſcatur a natura, non videtur tamen intellectu ſimplici, ſed potius ratiocinatione apprehendi, aut certe clarius demonſtrari. Sic enim recte colligimus: Qui cœlum terramque creavit, ab æterno fuit; Item, Qui ſolus omnia fecit quæcunque voluit, omnipotens eſt &c.

§. XI. Extendit ſe intellectus noſter ad res creatas pariter e. gr. eclipſin ſolis ac lunæ; quatenus in oculos incurrit, obſervant etiam bruta; illius autem cauſas unde oriatur nos non niſi Mente noſtra aſſequimur. Ita intelligimus in plantarum ſemine latitare principium quoddam activum virtute plaſtica inſtructum, quod ſecundum ideam inſitam ſucceſſive omnes partes ad arborem vel herbam pertinentes producat, radices puta, caules, folia, flores, fructus &c. In animalium generatione eodem modo ſeſe habent omnia, niſi quod du-

duplex ubique ſexus ad generationem requiratur. Verbo, diſciplinæ omnes theoreticæ, quocunque nomine veniant, ad intellectus exercitationem non parum conferunt.

§. XII. Ita enim ex altera parte diſciplinæ practicæ ad voluntatem referri debent. In puncto religionis recte colligimus, ſi Deus juſtus eſt, timere illum oportet, nec mala facere, ut pœnam evitemus irati judicis. In converſatione civili ſuum cuique tribuendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Privatim ut te ipſum atque tuos, uxorem liberosque nutrire queas, otioſus eſſe non debes, ſed laborandum & certum vitæ genus eligendum eſt, ut habeas quod ad ſuſtentationem ſufficiat. Honeſtati ſemper ſtudendum, ut fama tua maneat illæſa.

§. XIII. Quemadmodum autem, ſi veritas eruenda eſt, non ſtatim prima quæ occurrit opinio a nobis probari ſolet, ſed potius dubitare licet, uſque dum de certitudine illius ſecuri ſimus: ita deliberandum eſt diu, antequam in aliquod factum conſentiamus, ne forſan paulo poſt illius iterum pœniteat.

MEMBRUM II.

De diſſimili Animæ Natura ejuſque Facultatibus.

§. I.

In tradendis corporis noſtri partibus HIPPOCRATEM, Medicinæ patrem & principem merito ſequor, qui *Libro Popularium* VI. *Sect.* 8. *p.* 819. has vocat τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, & ἢ ἐνισχόμενα σώματα, quod LINDENIUS per *continentia*, *impetum facientia*, & *contenta corpora* explicat. Hippocrati noſtro aſſentitur GALENUS *Tr. de tremore, palpitatione, convulſione & rigore Lib.* 1. *p.* 52. *Quæ hominem* (ſeu potius corpus ejus) *conſtituunt, ut Hippocrates nos docebat,*

 ſunt

ſunt ſolida, humida & ſpiritus: meminit autem ipſorum his verbis: continentia dicens, contenta & impetu ruentia. Continentia quidem ſolida nuncupans, ut quæ comprehendant tegantque humida: contenta autem humores, ut qui a ſolidis comprehendantur, quæ impetu ruunt ſpiritus, ſiquidem in omnem corporis partem momento temporis, & facile, & citra impedimentum perveniunt.

§. II. Cur ab hac ſatis accurata diviſione corporis partium recedam cauſam habeo nullam: miſſis autem hac vice partibus ſolidis humoribusque ſermo mihi erit tantum de impetum facientibus, ſeu moventibus tum ſolidas partes, tum humores. Has quidem in ſcholis Medicorum communiter appellant ſpiritus, utpote qui ſubtiliſſimæ & ſumme activæ ſunt naturæ, ideoque cum humoribus, multo minus cum ſolidis confundendi. Interea materiales exiſtunt, atque ita a Mente & ſpiritibus proprie ſic dictis diſcrepant.

§. III. Igneam vero Animam eſſe inde apparet, quod animalium corpora, quamdiu vivunt, ſint actu calida plus minus, poſt mortem autem prorſus frigida, unde ſic argumentor:

Q. Calorem præſtat animalibus dum vivunt, id meretur nomen ignis vitalis.

Atqui Anima &c. Ergo:

Nec obſtat dari animalia quædam actu frigida e. gr. ſerpentes, ranas & ſimilia amphibia, ac præ cæteris aquatilia. Largior enim ejusmodi corpora eſſe frigidiora, ſi conferantur cum aliis actu calidis; non ſequitur tamen quod deſtituantur omni calore aut igne. Si enim verum eſt e. gr. carpionem hyberno tempore frigore rigeſcere totumque congelari, iterumque, ſi poſt horam unam vel alteram aquæ immergatur, reviviſcere, ſequitur ſummum frigoris gradum in piſce non dari, ſed aliquas adhuc ignis particulas in eo latitare, quod ex thermometri uſu quodammodo clarius apparebit. Quæ enim inter aquam frigidam & glaciem eſt differentia, eadem erit inter piſcem aquis recenter extractum & glaciatum.

§. IV.

§. IV. Sane ignis ſat copioſus in actu frigido e. gr. ſilice, chalybe ſimilibusque ineſſe poteſt, quanquam ſenſu tactus non percipiatur: quid quod ſpiritus vini ſimiliaque inflammabilia frigida ſunt brumali tempore, cum tamen ex toto ſint ignea, aut certe in flammam convertantur citra ullam vel phlegmatis vel capitis mortui remanentiam. Quodſi ergo corpora manifeſte frigida ignem abſcondere poſſunt, ut calor hinc oriundus ope tactus explorari nequeat, male piſcibus & amphibiis negatur ignis animalis.

§. V. Provoco ad regnum vegetabile, in quo procul dubio reperitur ignis in ipſis arboribus, plantis &c. qui facit ad germinationem, florum productionem, ſeminum maturitatem &c. quod in regno animali præſtat alias ignis vitalis. Sunt aliquæ ſtirpes e terris calidioribus ad nos allatæ, quæ vix ac ne vix quidem ſervari poſſunt, niſi calente per totum annum hybernaculo cuſtodiantur: ſunt aliæ e. gr. helleborus niger, qui media etiam hyeme, quam primum ſolis radios tantiſper ſentiunt, flores ſuos oſtendunt ſat elegantes. Itaque calor, etiam ſi debilis fuerit, calor tamen eſt, igniſque paucus non minus eſt ignis, quam ſi fuerit copioſus.

§. VI. Audiamus HIPPOCRATEM *Lib.* 2. *de Diæta p.* 229. *Ex igne & aqua omnia conſtituuntur, & animalia & terra naſcentia, & ex his augeſcunt, & in hæc ſecernuntur & reſolvuntur.* Ac *Lib.* 1. *p.* 182. ubi hæc de animalibus ſpeciatim habet: *Conſtituuntur tum animantia alia omnia, tum homo ipſe, ex duobus, differentibus quidem facultate, concordibus vero & commodis uſu, igne inquam & aqua: hæc autem ambo ſimul ſufficientia ſunt tum aliis omnibus, tum mutuo ſibi ipſis; utrumvis vero ſeorſim neque ſibi ipſi, neque ulli alteri ſufficiens eſt. Vim igitur ac facultatem utrumque ipſorum talem habet: ignis enim omnia per omnia movere poteſt; aqua vero omnia per omnia nutrire &c.*

§. VII. Extra controverſiam reſpexit optimus hic medicinæ parens ad generationem & ſtirpium & animalium, ac proinde aliam vult materiam, ex qua vegetabilia & animalia naſcantur, humidum primigenium ſcilicet, cui aquæ nomen de-

dit tanquam humori: in hóc autem liquore ſpermatico contineri principium vitale ſive ignem aſſerit, virtute plaſtica inſtructum, & ad conſervationem vitæ ſufficiens. Neque vero credendum eſt, ignem hunc formato corpore rurſus evaneſcere; ſed ſtatuendum potius, eundem hunc ignem, qui corpus ſibi commodum formavit in generationis negotio, idem poſtmodum conſervare, nutrire & augere per totam vitam.

§. VIII. Age igitur, videamus Animæ hujus Facultates, & apparebit clariſſime has omnes cum animalibus reliquis homini communes eſſe. Saltem præmonendum erit, animalia quædam habere communia cum ſtirpibus, quædam vero propria, ut vel ideo præ cæteris facultates animales dici queant.

§. IX. Ita Facultas, quam vocant locomotivam, qua pro lubitu animalia ſuum mutare locum poſſunt, manifeſte diſtinguit illa ab omnibus creatis aliis. Foſſilia ſedem ſervant ſuam perpetuo, niſi dimoveantur: arbores & quicquid ad ſtirpium genus pertinet, ubi ſemel radices egerunt fixas, ibi hærent conſtanter. Et quanquam cœleſtia corpora, planetæ cum ſuis ſatellitibus loca ſua quotidie mutent, cum animalibus tamen comparari non poſſunt, quoniam hæc ipſa libertatem habent ſeſe movendi & quieſcendi quotieſcunque ipſis viſum fuerit, id quod de ſideribus dici nequit.

§. X. Sunt quidem motus animalium diverſi, quorum alii arbitrarii ſunt penitus, alii neceſſarii, ut etiam iis inſciis atque invitis fiant, alii fere mixti, ita, ut interdum arbitrarii, interdum etiam inviti notentur.

§. XI. Arbitrarii motus ſunt capitis, artuum & totius corporis; ſeorſim oculorum, palpebrarum, narium, linguæ, maxillæ inferioris; in brutis quibuſdam etiam aurium atque caudæ. Involuntarii motus ſunt cordis, ſtomachi & inteſtinorum motus periſtalticus, utpote ad diſtributionem chyli, ſanguinis aliorumque humorum ſumme neceſſarii. Thorax autem cum diaphragmate & coſtis nunc quidem moventur, etiam nobis inſciis inter dormiendum, quoniam aëre nul-

lo

lo modo carere poſſumus; nunc vero inter vigilandum agitantur motu arbitrario, quando inter colloquendum vel cantandum eundem vel retardamus, vel acceleramus pro arbitrio noſtro.

§. XII. Quemcunque vero ex his motum examinemus, eum unice ab Anima ſive igne vitali proficiſci certum eſt. Nempe ligetur nervus e. gr. in canibus aut ranis ad crura excurrens, & eodem temporis momento ceſſabit omnis ſenſus motuſque, ita, ut ſi acie cultri pungatur crus, neque ſenſus neque motus in eo appareant notæ: quamprimum autem ligatura iterum removetur, vel ſaltem nodus ex parte deligatur, hoc ipſo quoque reſtituitur ſenſus & motus. Experimentum hoc ſane probat manifeſte, nec muſculos nec fibras eorum in crure facultatem habere ſeſe movendi aut etiam ſentiendi, niſi ſpiritus, quem vocant influum, per nervum acceſſerit, inſito ſpiritui nunc vel impedito vel plane diſſipato ſuccurrens. Qui igitur fibram motricem nominat, huic non aſſignat vires movendi principaliter, ſed organice tantum, h. e. fibras vult eſſe aptas, ut earum opera Anima movere poſſit membra movenda. Sicuti enim funiculi ad currum trahendum ſunt idonei, ſi ſcilicet equus alligetur, quo abſente nihil valent: ita fibræ muſculorum partes movent quibus inſeruntur, non propria virtute, ſed potius Animæ principaliter omnia moventis. Ecquis ignorat ſanguinem per cordis pulſum in univerſum corpus diſtribui, haud raro autem ſuperveniente lipothymia ob negatum Animæ concurſum ſubito deficere, uti exempla mulierum paſſione hyſterica correptarum, aut per terrorem vehementiorem in ſyncopen lapſarum abunde docent. Sed ignem vitalem deficere in hoc caſu quis dubitet? cum, quæ ante pauca temporis momenta hilares ſatisque ſanæ videbantur, ex improviſo palleant ac refrigerentur moribundarum inſtar.

§. XIII. Sed mirum non eſt, partes ſolidas & humores moveri ab Anima, quippe quæ ignea tota eſt ſummeque activa: gaudet nimirum particulis ſubtiliſſimis, conſequenter pene-

netrantibus & ad movenda alia maxime idoneis. Conferamus ignem cum reliquis elementis, & conſtabit aperte nullum aliud cum eo comparari poſſe. Etenim terra quietis amans tanquam ponderoſa præ cæteris reſiſtere magis motui videtur, quam eundem cum aliis communicare: aqua ob fluiditatem concreatam facilius quidem movetur, ſed ad movendum tardior igne, uti rotæ aquaticæ molendinarum docent: paulo major eſt impetus aëris afflatu ſuo curſum navigii per altum mare accelerantis: ad ignis vero velocitatem nihil eſt, quod adſpiret. Nam & ignis vulgaris oſſa frangit, ferrum penetrat & ſaxa, quid obſtat quominus ignis vitalis totum corpus, ipſa etiam oſſa permeet? Adeoque nec audiendi ſunt, qui ſuccum quendam nervoſum tranſeunti affingunt igni, quaſi vero fluidum nerveum ad ſeri naturam accedens commodius per tubulos nervorum anguſtiſſimos moveri poſſit, quam fluidum igneum (ſit venia verbo). Cur enim non potius ſuo nomine ignem appellamus ignem, & ſcapham ſcapham?

§. XIV. Porro cum animalibus communes habemus ſenſus externos pariter atque internos. Si ſenſus externos examinemus, dubium non eſt, quin eorum gratia peculiarem ſtructuram habeant ſingula ſenſoria, ut de objectis ſenſibilibus accurate judicare queant, quatenus ſcilicet animata ſunt. Ut enim ſpeculum accurate politum recipit imagines omnis generis, ſed citra ſenſum, ſic oculus, tanquam inſtrumentum maxime aptum, objecta excipit viſibilia, quæ poſtmodum ab Anima inhabitante cognoſcuntur. Idem de reliquis eſto judicium: oculi enim non vident, ſed Anima in oculo; aures non audiunt, ſed intus habitans Anima; nares non olfaciunt, lingua non guſtat, corpus totum non ſentit, niſi quatenus ab igne vitali animatur.

§. XV. Obiter hic noto dari quoque non incelebres Viros, qui brutis ſenſus omnes denegare malint, de quibus rectius affirmare licebit, eos carere mentis uſu, quam bruta ſenſibus. Canis certe venaticus leporem inſequitur cervum aut vulpem & reliquas feras, quas non videt: alius latentes

in

in arvis cothurnices perdiceſque narium ſagacitate reperit, olfactu tamen deſtituitur: alius carnem eligit præ pane, ſi permixta ſint invicem, quorum diſcrimen neque guſtu, neque olfactu, neque viſu obſervare poteſt: alius ſi nomine ſuo ab hero vocatur, abſque mora ſurgit & accedit, quanquam neque vocem domini ſui audiat, neque viſu aut olfactu cognoſcat, ubi illum reperiat. Ut alia taceam, crediderim potius ſenſus in brutis excellentiores eſſe atque perfectiores quam in homine ipſo:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Ratio in promptu eſt: ſiquidem homines poſt lapſum amiſere plurimum de ideis concreatis, & perfectione primum conceſſa, bruta non æque.

§. XVI. Quid dicam de ſenſibus internis, ſenſu communi ſcilicet, phantaſia & memoria? Cadunt ſane hi ipſi quoque in bruta. Vocamus enim ſenſum communem, quando diſtinguimus quæ diſtinguenda ſunt ſenſibilia; phantaſiam quando connectimus quæ connectenda ſunt; memoriam quando repetimus ea, quæ antehac fuere a nobis comprehenſa. Differunt hi ſenſus interni ab externis, quod etiam abſente objecto circa ſenſibiles proprietates Anima ſit occupata: deinde nec ſenſorio ſingulari indigent ſenſus interni, ſed abſque hoc ipſo continuant contemplationem ejus ideæ, quam antehac conceperunt. Neque enim ſenſus communis indiget ſenſorio communi, niſi totum corpus pro illo haberi velis. Siquidem fieri ſolet haud raro, ut rem viſam cum audita vel etiam lecta conferamus, tuncque ſenſum communem appellamus, ſi a ſe invicem diſtinguantur, quæ diverſa ſunt; phantaſiam, ſi combinentur, quæ non male inter ſe cohærent; ſi vero diligenter repetam mihique familiare reddam, quæ accuratius noſſe cupio, memoriæ illud mandare dicimus, quæ illa, quotieſcunque viſum fuerit, eadem reddere ſolet, etiamſi jam diu fuerint facta.

XVII. Ita columbam e. gr. cernimus marem ſuum diſtinguere ab aliis; gallinam ſuos congregare pullos; aviculas etiam

iam ſylveſtres proprium invenire nidum, quanquam longius inde diſceſſerint.

§. XVIII. Neque enim inter vigilandum unice ſenſus operantur interni, verum etiam inter dormiendum: imo videtur Anima tum maxime indulgere phantaſiæ ſuæ, quando ſenſoria quieſcunt externa. Quid enim inſomnia ſunt aliud quam phantaſiæ luſus, vel etiam ſenſus communis aut memoriæ? quando ea, quæ interdiu fortaſſe caſu obvenerunt, in ſomno iterum repetuntur, dijudicantur, permiſcentur &c.

§. XIX. Verum hæc fieri abſque affectu vel alteratione prorſus impoſſibile videtur: nec enim omnia ſenſibus obvia indifferenter ſe habent, ſed eorum quædam placent, quædam diſplicent. Quæ nova ſunt, adeoque hactenus incognita, pariunt admirationem, quæ magis jucunda, lætitiam, quæ pulchra, potius amorem, bona imminentia, ſpem &c. vice verſa contemtum gignunt quotidiana, triſtitiam, dolores aliaque infauſta; odium & iram excitant, quæ nos male habent; metum, quæ imminens minitantur infortunium.

§. XX. Reſtat, ut cæteras etiam videamus facultates, quas Anima fere communes habet cum ſtirpibus, videlicet nutritionis ac generationis negotium. Non inficiamur notabilem quidem intercedere differentiam, ſi rigoroſe plantas cum animalibus conferre velimus in utroque paſſu. Nam & apparatus longe major eſt ad nutritionem animalium quam ſtirpium; & in generationis actu vel unicum ſufficit ſubjectum ad productionem ſimilis herbæ vel arboris; cum ex altera parte animalium generatio non fiat, niſi concurrente ſexu maſculino ſimul & fœminino. Nihilominus ſi modum nutritionis in utroque genere accurate penſitemus; unica eſt materia, ſuccus e. gr. herbarum, ſanguis animalium, aut ejus analogum, quæ ab igne vel plantarum vel animalium concoquitur, atque ita præparatur, ut omnes totius corporis partes inde ſuum impetrare & alimentum & incrementum valeant. Quanquam fortaſſe appetitus ille naturalis plantarum

non

non ſit idem omnino cum fame & ſiti animalium.

§. XXI. Simile quid de appetitu venereo animalium judicandum eſt. Nemo facile dixerit herbas tentari ſalacitate, quanquam Veteres ſexum quoque diverſum in vario plantarum genere quærere voluerint. Nihilominus idem principium vitale, quod ignem interpretamur, ſecundum ideam a Creatore impreſſam nunc ſtirpem producit, nunc animal ſecundum omnes partes ad integritatem corporis neceſſarias.

CAPUT II.

MEMBRUM I.

De Mentis Regimine.

§. I.

Conſideravimus hucuſque ſeorſim duo in nobis agentia, Mentem ſcilicet atque Animam. Nunc vero diſpiciendum eſt ulterius, quomodo ſe habeant in homine, an ſingula ſuum locum poſſideant judicii diſtinctum, an vero in ſocietatem coëant amicam, atque ita conſentiant in rebus decidendis?

§. II. Prius illud ideo admittendum haud eſſe arbitror, quod neque Animæ neque Menti certa ſedes in cerebro, corde aliove loco aſſignari queat; ſiquidem longe facilius operationes Mentis æque ac Animæ nobis concipere poſſumus, ſi ubique præſentes fuerint, & amica ſocietate junctæ, Anima cum Mente communicare poſſit de rebus ſenſibilibus, & vice verſa Mens cum Anima, quotieſcunque cogitationes Mentis a corpore in actum deducendæ ſunt.

§. III. Ut brevis ſim, voluit Deus Omnipotens homi-

nem creare non inſtar animalis, ut ſenſibilia tantum objecta apprehendere valeat; neque ut angelum tantum, qui gloriam Dei decantet indeſinenter, ſed utramque naturam animalem & ſpiritualem coire in unum voluit, ut cauſam haberet multo magis admirandi opera divina, gratiasque agendi pro beneficiis non numerandis. Quemadmodum autem in poris partium ſolidarum habitare ſanguinem & humores alios voluit, ita in ſanguine Animam, in Anima Mentem: nec dubitavit in Mente piorum ſibi habitationem ſtatuere, ita ut in hac unione vitam hominis præſertim regenerati conſiſtere nullum ſit dubium.

§. IV. In præſenti capite de Mentis atque Animæ unione nobis ex profeſſo agendum eſt, in quo duo quidem momenta præ cæteris animadvertenda ſunt, nempe *Regimen Menti conceſſum in Animam*, & *Miniſterium corporis ſive Animæ*, quod Menti debet.

§. V. Mentis regimen ita ſe habet: primo ſi motum ſpectes, Mens quidem immediate non movet corpus aut membra, neque in arbitrario ſic dicto, ſed moderatur ipſam Animam, ut ſe ad Mentis intentionem componat. Adeo nulla eſt ars, ne manualis quidem, in qua Mentis concurſum cum Anima non manifeſte apprehendamus. Certe pictoria, plaſtica, architectura, matheſis atque aliæ opera quidem ſunt manuum, ingenio tamen non carentia. Attendamus ſaltem ad muſicam, ubi e. gr. tractandum eſt organon pneumaticum majoris apparatus, ſane artis non eſt manibus pedibusque impellere, ut confuſos hinc inde ſonos edat, ſed ut hi ipſi inter ſe cohæreant, & ad certam reducantur harmoniam, & quidem præciſe juxta præſcriptum hymnum, id quidem opus eſt judicii, quod in Animam brutorum nunquam cadit.

§. VI. Secundo in ſenſibus & quidem externis haud rarum eſt hominem falli, e. gr. ſolem ac lunam in cœlo inſtar orbis lucidi cernimus vix ſpithamam æquantis; longe majus tamen utrumque corpus eſſe colligimus non modo ex luce adeo late diffuſa; ſed imprimis ſolis vires in mutatione tempeſtatum inſigniores abunde probant, illum omnino eſſe ſat

ma-

magnum, ob diſtantiam autem longe majorem diminutum quaſi apparere.

§. VII. Si concionatorem audiamus articulos fidei explicantem, alius quidem eſt ſonus verborum, quem etiam canis fortaſſe adſtans auribus percipit; valorem autem eorum, quæ altioris ſunt indaginis, non intelligit, ſed is unice, qui ex verbo revelato antea jam didicit.

§. VIII. Alias mens noſtra rerum ſenſibilium qua talium vix curam habet, ideoque odores, ſapores, lumen ac tenebras, colorem, ſenſum atque ſimilia vix ac ne vix quidem definire poteſt, cum tamen Anima promte diſtinguat, ſi modo ad ſenſoria pervenerint; nihilominus Mens interdum cooperatur, ubi fortaſſis Anima deficit: exempli loco ſit balſamum quoddam ſuaveolens, quod recipit omnis generis olea deſtillata, ambram moſchumque; procul dubio ſi odor c. gr. ligni rhodii, cinamomi aut moſchi prævaleat, de eo ſatis certa erit Anima; qua vero proportione mixta ſint ingredientia cuncta, ut odor tertius hinc emergat, non adeo promte dijudicare poterit, niſi Mens eadem probe penſitaverit. Ita ſapores omnis generis permiſcere ſolent coqui, ut nemo cepas, allium, poma citri & aurantiorum, herbam baſilici, thymi, rorismarini, ſaturejæ aliorumque aromatum guſtum ſatis diſtinguere poſſit; id enim artificium eſt ſapores adeo diverſos, uti ſunt acidum, dulce, ſalſum, aromaticum & amarum ita temperare, ut non niſi artis ejuſdem peritus tale quid imitari valeat. Idem de ſenſibus internis dicendum eſt, nam & ſenſus communis, phantaſia & memoria non parum juvantur, corriguntur & confirmantur a Mente, quotiescunque Anima ſibi ſola vix ſuffecerit: imo ſi fortaſſis per inſomnia a vero aberraverit Anima, ad minimum eorum vanitatem detegit Mens, quamprimum expergefacta fuerit.

§. IX. Tertio præ cæteris regimine Mentis opus habent affectus, ſæpe nimis quam brutales etiam in homine: aut enim nimis vehementes ſumus in ira & malo avertendo, ut neque homicidium committere vereamur, præ nimia vindictæ cupiditate; aut in bono arripiendo adeo avari, ut etiam ea quæ

ſunt alterius in noſtram poteſtatem fraudibus aut furto rapiamus lubentes. In amore etiam intempeſtivo perſonarum minus honeſtarum quot non errores committuntur tota die? quanquam ſana ratio diſpendium famæ, fortunæ ac ſanitatis cum eo connexum clare ſatis ob oculos ponat. Nec deſunt qui voluptatibus ita ſe manciparunt, ut diem illum periiſſe putent, quem non comeſſando & compotando tripudiantes tranſegerint, etiamſi ſuo damno experiantur lætitiam hujusmodi immodicam conſumto patrimonio paupertatem infallibilem poſt ſe trahere. Quod vulgo dicunt, omne nimium vertitur in vitium, id profecto de affectibus in genere omnibus affirmare licebit; niſi enim modus ſervetur in triſtitia, metu, ſpe ſimilibuſque, graviora nonnunquam ſequuntur mala, quæ viro magnanimo non æque accidunt.

§. X. Quarto non habet Mens, quod in nutritionis negotio afferre poſſit. Ita enim Salvator noſter *Matth. 6.* ℣. 27. ſuos alloquitur diſcipulos: *Quis veſtrum cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum &c.* Hoc tamen non obſtante ſunt, qui ſaginando corpus ad ſuffocationem uſque pinguefacere ſolent, tota die gulæ curam gerentes, quod ſane facili negotio declinare poſſent, ſi modo ſibi temperare ſciant. Sic enim generatio ipſa actus eſt Animæ ſenſitivæ; nihilominus ſi quæ circumſtantiæ loci, temporis, perſonarum ſimileſque concurrant, ad earum examen Mens quoque admittenda erit.

§. XI. Bone Deus! quanta non obſervatur quotidie lucta carnis & ſpiritus: adeo inobediens Menti eſt Anima, ut inſtar equi indomiti vel furioſi excuſſa habena equitem ſecum rapiat, nolentem volentem non ſine manifeſto periculo. Ita enim exclamat *Paulus Epiſt. ad Romanos c.* 7. ℣. 23. *& ſeqq. Scimus quod lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato: quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio: ſi autem quod nolo illud facio, conſentio legi, quæ bona eſt; nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Scio enim quod non habitat in me, h. e. in carne*

mea

mea bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago: ſi autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adhæreat. Conſentio namque legi Dei ſecundum internum hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi Mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.

§. XII. Extra controverſiam carnem, quam Paulus nominat, non vult eſſe muſculos aut ſubſtantiam fibroſam cordis aliarumve partium. Quomodo enim quod pure paſſive ſe habet, & ab alio regitur principio, reſiſtere adeo Menti poteſt? commode igitur caro hic explicatur per totum corpus, & quidem animatum in oppoſitione Mentis, quod in S. Scriptura alibi quoque obſervamus. Ita Chriſtus dormientes alloquitur diſcipulos ſuos *Matth.* 26. ℣. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: ſpiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma.* Ad hunc modum Apoſtolus modo allegatus in *Epiſtola ad Galat. c.* 5. ℣. 17. & 18. ſeſe explicat: *Dico autem in Chriſto, ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis: caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis illa faciatis; quidem ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immundicitia, impudicitia, luxuria &c.*

§. XIII. Proh dolor! ſi tanta vis eſt appetitus ſenſitivi ſive Animæ, quis reſiſtere poteſt hoſti adeo periculoſo, nos jam jam totos occupanti? Enim vero nos bono Animo eſſe jubet Chriſtus Spiritum Sanctum nobis promittens *Joh.* 16. ℣. 13. *Cum venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ab hoc ipſo enim intellectus noſter quotidie magis magisque illuminatur; imago divina maximam partem deperdita quodammodo reparatur; myſteria ſalutis noſtræ expan-

panduntur; verbo, notitia veri Dei, & ſi quæ alia nobis ſcitu neceſſaria ſunt communicantur abunde.

§. XIV. Idem Spiritus Sanctus voluntatem noſtram ita dirigit, ut faciamus quæ Deo placent, omnibusque modis ea evitemus, quæ lege divina prohibita ſunt: *Paulus ad Philip. c. 2. ℣. 13. Deus eſt qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Atque ita e peccatoribus & filiis iræ nos facit dilectos Dei filios. Ita *Rom.* 8. ℣. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei: non enim accepiſtis ſpem ſervitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater; ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.* Nimirum generatio noſtra carnalis nos quidem producit homines, aſt impios; verum ſpiritualis regeneratio nos facit fideles. Sic Jeſus etiam ad *Nicodemum Joh.* 3. ℣. 5. *Amen Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quod dixi tibi: oportet vos naſci denuo.* Conferatur etiam *Paulus ad Tit. c.* 3. ℣. 4-8. Item *ad Epheſ. c.* 3. ℣. 15-17.

§. XV. Noſtrum eſt, quem accepimus, Spiritum ſancte cuſtodire, ejusque directionem ſtricte ſequi, neque per negligentiam floccifacere, quæ in nobis quotidie emendare ſtudet; multo minus per malitiam aut contemtum reſiſtere illius regimini, ne forte per graviora peccata offenſus nos iterum deſerat. Ubi enim inhabitare amplius deſierit, longe deteriora fiunt omnia, ſatana hujusmodi occœcatos homines occupante ac ſecum rapiente in gehennam. Horrendum dictu templum Spiritus S. ſic profanari, ut nullum excogitari poſſit facinus aut ſcelus, ad quod patrandum non facilis aut promtus ſit ejusmodi homo a cacodæmone obſeſſus.

MEM-

MEMBRUM II.

De Miniſterio Animæ vel corporis quod Menti præſtat.

§. I.

Interea prætereundem haud eſt, Mentem noſtram cum Anima in ſocietate vivere adeo ſtricte, ut nec miniſterio hujus carere poſſit. Adeo raræ ſunt ideæ Mentis nobiſcum natæ, ut ipſa etiam Dei notitia manca ſit admodum, ut in dijudicando bono a malo, æquo vel juſto ab iniquo & injuſto ſæpius aberremus. Oportet igitur per ſenſoria ea ſucceſſive addiſcere, quæ Menti obſcura eſſe non poſſent, ſi modo ipſa fuerit integra. Quid ergo hominem Chriſtianum diſtinguit ab ethnico, niſi revelatio Spiritus S. per verbum Dei facta? Si quis igitur hoc ipſum neque legat neque audiat, quomodo poterit veram & ſalvificam notitiam Dei ſibi comparare? O infelices itaque quos terra produxit barbara, a cultu Dei noſtri aliena, Aſia, Africa & America! Aſt infeliciores, qui media in Eccleſia nati athei ſunt, in ipſa luce meridiana noctuarum inſtar cœcutientes!

§. II. Quis dubitet Menti noſtræ inſcriptam eſſe legem, quæ timorem Dei & proximi amorem nobis imperet. Ut enim nomen rectæ rationis mereatur, nihil præſumitur facere vel admittere, niſi quod bonum & juſtum fuerit. Sunt quædam ſua natura ita bona, ut ſi vel maxime Deus illa non mandaverit, nihilominus juſta: alia ſunt adeo mala, ut etſi nulla lege prohiberentur, fieri tamen non poſſent, niſi a mente capto, e. gr. quis neget amorem parentibus aliiſque benefactoribus? Quis licentiam ſibi ſumat necandi alium innocentem, cum alius quicunque me occi-

dere pari jure poſſet? Quam negligenter vero Mens noſtra tractet diſtinctionem inter bona & mala, vel ſola promulgatio decalogi in monte Sinai docet, quando Deus juſtiſſimus judex legem Menti hominum inſcriptam, denuo in tabulis lapideis exaratam, populo ſuo per Moſen exhibere voluit, ut illam præ oculis habere, & ab omni oblivione vindicare poſſent.

§. III. Quis mundi hujus exordium totamque creationis hiſtoriam nobiscum communicare poſſet, niſi Spiritus S. ea nobis revelaret? Quis e diabolorum lapſu, diluvio univerſali, everſione Sodomæ ac Gomorrhæ ſimilibusque exemplis, Deum eſſe juſtiſſimum judicem non colligat? Alia hinc inde legimus exempla miſericordiæ divinæ; ſed inſtar omnium eſſe poteſt, quod filium ſuum unigenitum humanam aſſumere naturam voluerit, ut pro nobis peccatoribus ſatisfacere, pati, mortemque ſubire poſſet; quod ſane amoris divini teſtimonium nobis ſuggerit nullatenus contemnendum. Quis revelare nobis potuit myſterium Sacro-Sanctæ Trinitatis? & quis de reſurrectione mortuorum, de ſalute æterna vel damnatione nos certos reddere potuit, præterquam is ſolus, qui omniſcius & æternus eſt? Cum ipſo autem Deo hodie colloqui amplius non datur; ſufficit ergo verbum Dei, quod fallere neſcit, ſiquidem Deus ipſa veritas eſt.

§. IV. Sed *naturalis homo* notante Paulo *Epiſt.* 1 *ad Corinth. c.* 2. ℣. 14. *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere quod ſpiritualiter examinatur; ſpiritualis autem judicat omnia.* Invocandus igitur eſt Deus O. M. ut ſua gratia Mentem noſtram illuminet; ut Spiritus S. non deſinat cooperari, usquedum in rebus credendis ſufficienter inſtructi ſimus.

§. V. Quam periculoſum enim ſit, Mentem noſtram informari ab Anima ſenſitiva, nemo non videt: indulget namque hæc ipſa potius appetitui ſuo ita, ut de futuro vel æternitate ne cogitet quidem, ſi modo in hac vita bonorum omnium affluxum ſentiat; quamdiu enim viſibilibus oblectatur, inviſibilia parum æſtimat.

§. VI.

§. VI. Reliquum eſt, ut videamus quomodo ſe gerat Anima in expediundis illis, quæ Mens imperat. Factus eſt homo ad gloriam Dei, itaque adorare illum precando, vel cantando illius laudes amplificare tenetur merito. Si tunc Anima ſepoſitis omnibus aliis unice id agat, ut cum meditationibus ſacris harmonice conſpiret, recte ſe habent omnia: non infrequenter tamen obſervamus, verba ore prolata non conſentire cum cogitationibus, quas nobis etiam invitis ſuggerit vel phantaſia vel memoria. Ecce conſentientem mentem cum Anima, quando Maria mater filii Dei poſt annunciationem Gabrielis angeli præ gaudio *Luc.* 1. ℣. 46. in hæc erumpit verba: *Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus in Deo ſalutari meo.* En tibi Animæ functionem in decantanda gloria Dei! En lætitiam Mentis plane ſingularem! Dum vero in hoc paſſu concurrit Mens cum corpore, eo ipſo magis magisque amplificatur gloria divini Numinis.

§. VII. Sermo alias eſt interpres animi, vel ad Dei cultum directi, vel ad proximum, vel propriæ utilitatis & neceſſitatis ergo. Nam & alios juvare poſſumus conſilio, triſtes erigere ſolatio, ignorantes informare, errantes in viam reducere &c. item noſtræ utilitati ſuccurrere, cibum potumque poſtulare, ſi fames ſitisque urgeat.

§. VIII. Ita ſolent literati ſcripto conſignare, quorum memoriam ſervare cupiunt in rebus phyſicis, hiſtoricis, mathematicis &c. Et quis enarrare poterit manuum noſtrarum opera, quæ propriæ utilitatis gratia a nobis ſuſcipiuntur in apprehendendis & colligendis, quæ nobis neceſſaria ſunt, & arcendis, quæ nobis adverſa ſunt? Nam & laborandum eſt omnibus modis, ut ſuppetat, quo nutriamur, ac hoſtium vim, ſi aliter fieri non poteſt, etiam vi repellere licet. Ita quoque ſuperiorum juſſu defendimus patriam, & ſuccurrimus aliis ope noſtra indigentibus, Mente corporis actiones ubique dirigente.

§. IX. Atque hoc eſt amicum illud conſortium, quod Mentem animamque intercedit, quamdiu homo vita fruitur. Interim paria experiuntur fata, ſeu fortuna fuerit propitia,

ſeu etiam adverſa: e. g. Mens noſtra neque fame neque ſiti premitur, ſed proprie loquendo Anima eſt, quæ voluptatem inde percipit; nihilominus ſi paulo liberalius vinum ſimilemque potum generoſiorem hauriamus, Mens quoque ipſa in ebrietatem incidit, ita ut ex loquela pariter ac reliquis actionibus ſatis appareat, Mentem ſibi non conſtare ad aliquot horas, quamdiu ſcilicet ſpiritus peregrini Animam perturbant, ut nec Mentis regimen locum habere queat.

§. X. Hujuſmodi confuſio Mentis ac Animæ multo major eſt in febribus ardentibus, malignis omnibusque morbis cum delirio conjunctis: imo extra febrem etiam haud raro deprehendimus maniacos, melancholicos, qui ad aliquot interdum annos cum cura cuſtodiendi ſunt, ne vel ſibi vel aliis violentas inferant manus. Talem vero inſaniam primum pertinere ad Animam exinde conſtat, quod bruta etiam hydrophobia ſimilique furoris genere agitentur: Mentem vero ideo excuſare velle vanum eſt, quoniam in homine obſervamus idem vitium ſeſe extendere ad ea, etiam quæ ſunt ſupra captum ſenſuum. Ut taceam talia nonnunquam occurrere, quæ neque ab animalibus brutis, neque homine fieri poſſent, niſi totam prorſus naturam everſam atque deſtructam ſtatuamus.

§. XI. Quis aquam metuat, quam ebibere poſſumus? ſunt tamen hydrophobi alii canes, alii homines: ponamus autem Animam irrationalem errore phantaſiæ craſſo reformidare quantitatem aquæ minorem, adeoque vix nocivam; cur vero mens hunc errorem phantaſiæ non corrigit? peccat igitur nihil agendo ſive connivendo. Aliter peccat Mens ulterius extendendo impreſſiones phantaſticas, & approbando errores craſſos. Ita ſolent melancholici non modo dubitare de miſericordia Dei, ſed & deſperare de ſalute æterna, quale quid in bruta cadere non poteſt. Horrendum vero dictu eſt, melancholicum ſibi ipſi vim inferre, laqueo ſe ſuffocare, enſe aut cultro ſibi ipſi vitam eripere, in aquam ſeſe præcipitare, ut ſuffocetur &c. Tale quid, h. e. ſe ipſum enecaſſe, a beſtia unquam fuiſſe factum nullibi legimus. Siquidem

ſex naturæ omnium prima eſt, conſervare ac tueri vitam propriam; ſi vero tale quid homines patrant, pro amentibus habentur, cum tamen deliberato animo fieri oporteat, ut extra urbem prodeant, ac flumen quærant, quo ſubmergi poſſint commode; ut laqueum reperiant locumque ſuſpenſioni aptum; ut cultrum acuant, quo collo vel pectori lethale vulnus infligere valeant.

§. XII. Quapropter a vero vix aberravero, ſi autocheiriam talem neque ad Animam, neque ad Mentem referam, ſed ad ipſum cacodæmonem: ubi enim hujusmodi melancholicus fiduciam omnem in miſericordiam Dei rejicit, Spiritum S. ejuſque gratioſam directionem reſpuit, tunc certe non feriatur diabolus, ſed occupando totum hominem ita confundit, ut etiam neſciat, quid agat, juſto Dei judicio ſic occœcatus. Idem namque diabolus, qui in obſeſſis linguis ægroto nunquam cognitis loquitur, voceque ac lingua hominis utitur ad blaſphemiam, eodem jure manus, pedes, imo totum hominem corrumpit non aliter, ac ſi Furiis agitaretur.

§. XIII. Durat alioqui hæc Mentis atque Animæ ſocietas, quamdiu vires non defecerint corporis, nec refert, utrum amice interim conſpirent, an vero invicem inſtar hoſtium lites foveant perpetuas. Vera interim ac proxima Mortis cauſa non datur alia, quam Animæ defectio; ſeu enim morbo diuturno exhauriatur totum naturæ robur, carente ſomno, cibique ac potus appetitu, ſeu violento modo ſanguis profundatur. Quamdiu enim ſenſoria & reliqua organa recte ſe habent, tamdiu Mens quoque habet quod obſervet dijudicetque &c. ubi vero totum corpus exanime, nullam ulterius Menti præſtare utilitatem poteſt, Mens egreditur e corpore, nulla impellente alia cauſa. Quemadmodum autem vita ipſa non indigebat vinculo fortiore, aut catena ferrea, qua corpus cum Mente jungeretur: ita nec in morte violentia obſervatur notabilis, quæ quaſi cum impetu quodam partes hominis eſſentiales a ſe invicem diſtrahat. Quæ vero metum incutere ſolent, antecedentia potius ſunt, quam mors ipſa, morbos pu-

ta graviores, admodum doloroſos &c. ut taceam concomitantia, imprimis pravæ conſcientiæ morſus, in impiis ad horrorem incutiendum plurimum valere.

§. XIV. Poſſem hic finem imponere diſſertationi, niſi poſt hanc vitam ſequeretur æterna, nullatenus à Chriſtiano vilipendenda. Infelices profecto eſſemus omnes, niſi Salvator noſter, finitis calamitatibus noſtrorum temporum, quoque nobis paraſſet in cœlo habitationem æternam, quam prævia morte poſt reſurrectionem omnium mortuorum & transformationem, at conjunctione Mentis, Animæ ac corporis, finitoque extremo judicio per Omnipotentis miſericordiam adſecuturi ſumus; prout hæc omnia in Sacro Codice nobis ſunt revelata, vid. *Hiob. c.* 19. ℣. 25-27. *Matth. c.* 22. *Joh. c.* 5. ℣. 28. 1. *ad Corinth. c.* 15. *&c.*

§. XV. Atque ſic demum hominem clarificatum excipit æterna beatitudo, quæ pios etiam omnes in ſocietatem cum fidelibus, cum angelis, imo cum Deo ipſo recipit. Væ autem impiis, qui hac in vita leges divinas contemtui habere, ſuisque concupiſcentiis carnalibus unice locum dare, & ſanæ rationis, imo & Spiritus S. regimen illudere non dubitarunt! Hi enim, ſed nimis ſero, ſuo cum damno experientur, ſe a diabolo ſeductos eſſe, quos ſibi miſeros elegerunt ſocios malorum in gehenna nunquam finiendorum.

FINIS.

ECPHY-

E C P H Y S E S.

I.

Præter Mentem in corpore humano adhuc alium dari motorem internum, apprime docent ſanationes ſympatheticæ, quas Parens meus, quoties neceſſum fuit, per multos annos, Deo ſit laus, exercuit feliciter. Vid. Theatr. Sympathet. & *Inauguralis Parentis mei* de Natura Morborum Medica.

II.

Cauſam morbi ex eſu mytilorum contracti, quem vocant die Muſchel-Kranckheit, (*hactenus a nemine, quantum mihi conſtat, deſcriptam*) *latere in veſicula cujuſdam mytuli, mox ichore pellucido, mox pure quaſi digeſto, mox ſebaceo, ſingulis tamen plus minus acribus, repleta, multoties mihi demonſtravit chariſſimus meus Parens, vide Ephem. N. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 8. *Obſ.* 48. & *Obſ.* 194. &c.

III.

Diagnoſis morborum eſt ſummum totius medicinæ practicæ arcanum.

IV.

Salia vegetabilium fixa ſive alcalia non ſunt unius ejuſdemque virtutis, ut hactenus putarunt chemi-

ci,

ci, ſed differunt ratione virium concreatarum, niſi fuſione nimia caſtrentur.

V.

Eſt aliquid in medicina practica, quod nec dici, nec ſcribi poteſt, ſcilicet applicatio ad individua.

H A C T E N U S.